

sopiri et extingui absque consensu principis, nos tamen ad intercessionem nostrorum consiliariorum et ad petitionem nuntiorum eiusdem ducatus consensimus et consentimus praesentibus atque de gratia nostra speciali admittimus universe nobilitati et subditis nostris in eodem ducatu pro talibus vadis et poenis vallatis ad quodcunque iudicium qualitercunque deductis facere et inire compositionem et concordiam ac seipso mutuo ex huiusmodi vadio dimittere, antequam sententia pro eodem vadio inter partes per iudicium lata et pronunciata fuerit. Ideo committimus tue Fidelitati et mandamus, praecipiat id nostra auctoritate in omnibus iudiciis et districtibus ducatus istius publicari et in libros terrestres scribi et acticari, ut ad omnium subditorum nostrorum perveniat notitiam, secus non faciat Fidelitas Tua pro gratia nostra. Datum in conventione generali Cracouiae feria II ante festum Purificationis sanctissimae Dominae nostrae Mariae, anno Domini MDXXXII [29 I 1532], regni nostri XXVI. Relatio magnifici Cristoferi de Schydlowiecz, castellani et capitanei Cracoviensis, Regni Poloniae cancellaria.

VI. DE BONIS REGALIBUS LIMITANDIS

Consuetudinem vero de bonis seu fundis nostris regiis, a bonis et fundis subditorum terminandis et limitandis, que si ita, ut scripta erat¹, stetisset, nonnihil nobis et fisco nostro damni allatura esse videbatur, cum scripta esset ad modum illum, quo tempore illustrium dominorum olim ducum, praedecessorum nostrorum in illo ducatu, huiusmodi limitis et finium terminationes fieri solebant. Quod tunc fieri potuit, cum ducibus in praesentia adesse licuit. At nobis gravioribus reipublicae curis et negotiis distentis non idem licet. Et eapropter hunc articulum ad conventum alium regni tractandum distullimus, ubi, domino Deo favente, cum ordinibus regni et ducatus illius constituemus et ordinabimus: per quos et quemadmodum huiusmodi limitationes fieri debeant. Interim vero, si qui limitatione tali indigentes commissarios ad id a nobis impetraverint, in litteris commissionum nostrarum modum, quo limitatio fieri debeat, et informationem praescribemus.

VII. CONSTITUTIONES NOVAE DE HOMICIDIIS

Sigismundus, Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, totiusque Prussiae ac Mazoviae etc. dominus et heres. Magnifico et generosis Laurencio de Prażmowo, palatino, castellanis, capitaneis aliquis dignitariis et officialibus nostris dilectis gratiam nostram regiam. Magnifici et generosi, sincere nobis et fideles dilecti. Quod dum his cum omnibus statibus regni nostri conventum generalem tenuissemus, inter alias actiones publicas, quas hic egimus, communis subditorum nostrorum petitione hortati sumus, ut homicidia, quae iam postposito Dei et hominum, immo legumque publicarum timore, adeo inter subditos regni nostri, hoc praecipue tempore inoleverunt, ut plurimum vereamur, ne divina ultio in nos et regnum nostrum ob hoc sequatur, et proinde ea ratione moti, nolentes homicidia huiusmodi impunita esset sine debita animadversione praeterire, de unanimi consiliariorum nostrorum regni nostri sententia et decreto, statutum regni de homicidiis, illud sancitum, quod iam abrogatum et sublatum fuerat, ad petitionem consiliariorum nostrorum et nuntiorum terrestrium innovamus. Proinde nolentes etiam animadversioni publicae praeterire occasionem homicidiorum huiusmodi etiam in ducatu nostro Mazoviae patrandorum, Sinceritate Tua et aliis consiliariis nostris et nuntiis terrestribus ducatus nostri Mazoviae item apud nos potentibus, et instaurandum et innovandum etiam duximus statutum de homicidiis huiusmodi per illustrem olim Ianussium, dominum ducem Mazoviae, praedecessorem nostrum immediatum, et consiliarios eius sancitum, quod statutum huiusmodi sequitur:

[1]. Poena duplicita capitis occisi.

Item homicidae et interfectores nobilium post ultimam proclamationem possunt statim et debent citari a parte laesa ad praesentiam nostram pro capite interfecto, ubi absque omni

¹ Mowa tu o artykule 97 Zwodu Prażmowskiego, odrzuconym przy układaniu Zwodu Goryjskiego. Por. przyp. I na stronie 72 w tomie III Iura Masoviae Terrestria, gdzie też podano treść artykułu.

exceptione in termino primo peremptorio iuri parere et respondere homicida tenebitur. Quo negante homicidium pars laesa testibus plenis, nobilibus, bene famatis et possessionatis illum coniurare debet. Quos testes in eodem termino nominabit, et tandem in sex septimanis ducat in proprio districtu. Eo facto homicida sic convictus statim capi debet per officiales nostros et in carcere poni tenerique illic ad unius anni decursum irremissibiliter, nec inde dimitti debet, donec duplicitam poenam capitnis nobilis, videlicet nonaginta sex sexagenas grossorum amicis occisi solvat in effectu. Citatio vero contra talem homicidam debet dari et inferi per praecomenem et duos nobiles in domum seu bona eiusdem homicidiae quattuor septimanis ante terminum.

[2]. Homicida non comparrens.

Si vero talis homicida non comparuerit citatus, omnia bona eius confiscari debent, de quibus parti laesae solutionem capitnis facere tenebitur, aut illi bona eiusdem homicidiae tradi tamdiu tenenda, donec homicida summam praedictam pro capite occiso exsolvat et carcere poenam unius anni expletat. Quod si bona homicidiae ad summam praefatam capitnis se non extendant, vel ipse homicida sit impossessionatus, talis per capitaneos nostros inquiret et capi debet. Quod si non habuerit, unde solvat, parte laesa instigante et coniurante, homicida capite plectatur. Et si capitanei nostri, per partem laesam admoniti, istud facere neglexerint ac recusaverint, quinquaginta sexagenas minus duabus poenae nobis solvere tenebuntur.

[3]. Homicidae conservator.

Item si quis nobilis in domo aut bonis suis aliquem vagum ac impossessionatum foverit aut conservaverit, et ille de domo aut bonis eius exiens, homicidium in ducatu nostro perpetraverit, talis conservator homicidiae tenebitur homicidiam huiusmodi tradere officialibus nostris et parti laesae, alias solus poenas suprascriptas pro eo pendere et pati debet. Et hoc, si pars eum laesa plenis coniurare testibus praesumpserit, quod istum homicidiam vagum ad hoc in domo et bonis foverit et servaverit, et quod istud homicidium cum scientia et voluntate eius perpetravit.

[4]. Quod si homicida moriatur in carcere.

Item si talis homicida in carcere moreretur, successores de bonis eius non plus solum quadraginta octo sexagenas amicis occisi pro capite solvere tenebuntur.

[5]. De patricidis.

Item si quis patrem, matrem, fratrem, sororem, patruum, maritus uxorem aut illum, cui in bonis succedere deberet, interficerit, talis patricida proclamatus, et per amicos occisi, ut supra, convictus, ab omni successione cum pueris suis ad bona illius, quem occidit, removeri et privari debet, et ipse patricida aliquo mortis genere atrociori perdi et puniri, ut ceteri exemplo mortis suae turpissimae a tam nefando retrahantur facinore.

[6]. Poena patricidii inter coniuges.

Item inter virum et uxorem tali patricidio subsecuto, omnes donationes, dotalicia, dotes, successiones et inscriptiones quaecunque ei, qui occiderit socium suum, non cedunt in commodum, sed ad amicos occisi devolvuntur.

[7]. Patricidae non comparentes.

Item si tales patricidae citati comparere non curaverint, nec potuerint per officiales nostros apprehendi, ipso facto infames erunt et bona eorum confiscari debent. Nihilominus tamen capitanei nostri, ut eos apprehendant, curare debent omni studio sub poena suprascripta.

[8]. De occisione feminae nobilis.

Item, qui feminam nobilem cuiuscumque status interficerit, convictus per amicos eius ut supra scriptum est, infamis erit et pro capite occiso feminae summam suprapositam nonaginta sex sexagenas solvere tenebitur; et insuper poena, quae nobis pertinet, sexaginta marcae numeri et monetae Polonicalis solvi debet.

[9]. De homicida non permittente se proclamari.

Item si quis homicida non permiserit se proclamari et cum parte laesa componeret, volens has poenas constitutas evadere, talis, si homicidium manifestum fuerit, per capitaneos nostros capi debet et in turri spatio unius anni detineri. Et si sint bona ipsius, confiscari debent, neque sibi restitui, nisi prius carcere poenam expletat.

[10]. Mandatum praemissa exequendi.

Ideo mandamus Sinceritati et Fidelitatibus Vestrīs praesentibus, quatenus statutum hoc de

homicidiis, per illustrem dominum Ianussium ducem Mazoviae, antecessorem nostrum sanctum, per publicam ministerialium proclamationem ad notitiam omnium et singulorum deducat; et praesentes litteras nostras in libros terrestres omnium districtuum, Tua Sinceritas, Palatine, inscribi et induci faciat; patratores vero homicidiorum et capitaneos nobis negligentes deferat, poenis in statuto suprascripto contentis irremissibiliter puniendos. Sic et non aliter factura Sinceritas Tua et Fidelitates Vestrae pro debito suo et gratia nostra.

Datum in conventione generali Cracoviensi, feria secunda ante festum Purificationis Sanctissimae Dominae nostrae Mariae proxima, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo secundo [29 I 1532], regni vero nostri vigesimo sexto.

VIII. CONSTITUTIO REGIA TERMINORUM

Sigismundus^a Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, totiusque Prussiae ac Masoviae etc. dominus et heres. Magnifico et generosis Laurentio de Prasmow, palatino et iudicibus, subiudicibus et notariis ceterisque dignitariis et officialibus omnium districtuum ducatus nostri Masoviae in iure terrestri praesidentibus sincere et fidelibus nostris dilectis gratiam nostram regiam. Magnifice et generosi, sincere nobis et fideles dilecti. Sepius impetravimus multorum subditorum nostrorum eiusdem ducatus Masoviae gravibus querelis, quomodo vos iudices, subiudices et notarii terrestres pro voluntate vestra et mutatis et statutis dies iudiciorum et terminorum terrestrium communium celebrari istic solitorum, interdum incipiendo iudicare causas et actiones nonnullas diffiniant, nonnullas vero non modo indecisas, sed contra formam iuris inauditas prorogant, que omnia fieri solent in grave subditorum nostrorum praeiudicium et iuris communis formam et observantiam, quo omnes ex equo gaudere debent. Volentes itaque huiusmodi subditorum nostrorum gravaminibus et querimonii prospicere, sinceritati et fidelitatibus vestris districte praecipiendo mandamus, quatinus iuxta statuta ducatus istius semper in quattuor septimanis iudicia et terminos communes terrestres indicetis et iudicantes omnes causas ad iudicium vestrum quomodocumque spectantes diffiniatis et in eis procedere de forma iuris ad decisionem earum finalem partibus admittatis, alioqui si securus per vos aut aliquem vestrum actum et factum fuerit, id totum irritum et inane esse volumus; et nihilominus omnibus subditis nostris admissimus et tenore praesentium admittimus, ut ex vobis et bonis vestris damna, que exinde percepierint, iure repeatant et ratione officii vestri vel ad nostram aut palatini uti vicesgerentis nostri praesentiam extra districtum tales, quando voluerint, citare et evocare possint, contra quos hoc modo iure conventos, qui praesentem ordinationem et mandatum nostrum transgressi fuerint, ad privationem officiorum eorum procedere volumus et praemissa electione iudicis, subiudicis et notarii talibus officiis vigilantiores praeficiemus. In fine autem iudiciorum seu terminorum communium iudex, subiudex et notarii inscriptionem futurorum et sequentium extunc terminorum terrestrium communium faciant et ministerialis terrestris per publicam proclamationem ad notitiam omnium et singulorum deducat inscriptionem huiusmodi iudiciorum seu terminorum tunc proxime sequentium, ut sic nemo subditorum nostrorum errore terminorum futurorum fallatur vel defraudetur. Que proclamatio terminorum sequentium debet a notariis terrestribus sub privatione officiorum suorum in acta seu libros terrestres inscribi et induci. Volumus autem et mandamus, quod sinceritas tua palatine huiusmodi transgressores nobis deferat, et ne aliquis de praemissis praetendat se habere ignorantiam aliqualem, volumus, quod praesentes litterae nostrae primum in librum terrestrem Varschoviensem inscribantur et deinde earum rescripta sub sigillo terrestri Varschouensi ad omnes et singulos iudices, subiudices et notarios Masouie mittantur, ut similiter in singulos libros terrestres introducerentur et inscriberentur, sic igitur et non aliter facere

^a W *Iura Masoviae Terrestria*, t. III, s. 77, normę tę poprzedza następujący tekst: Nobilis Ioannes de Zaramby preco Zacroczymensis in iudicio stans palam recognovit, quia de mandato domini pallatini datus constitutionem seu mandatum sacre regie maiestatis literarum infrascritarum hodie die terminorum in circulo voce alta et intelligibili publicavit et exclamavit sub tenore infrascripto quas iudicium cum reverencia, qua decuit, suscepit.